ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D. NICOLAO FRANGIPANE

COMITI

IMP. ORD. AUSTR. FRANC. JOS. I. COMMENDATORI

EPISCOPO CONCORDIENSI

NUPERRIME CONSECRATO

SUAM SEDEM NUNC PRIMUM ADEUNTI

EMMANUEL KAUBECK

CANONICUS ADRIENSIS

EX ANIMO GRATULATUS

DUM ILLUM OMINIBUS PRECIBUS ET VOTIS PROSEQUITUR

D. D. D.

Illustrissime ac Reverendissime Præsul!

Præclaræ virtutes, quas in Te, Præsul Illustrissime ac Reverendissime, admiratus sum Concilii Prov. Veneti tempore, quo mihi Te novisse, Tuaque humanitate, colloquio et consuetudine frui contigit, jam tum me Tibi ita devinxerunt, ut ex illo summa observantia, grato animo et amore Te prosequi nunquam destiterim.

Quapropter ubi primum Te ad Episcopalem dignitatem merito evectum accepi, illius, qua perfusus sum, lætitiæ argumentum aliquod proferre institui; grandia licet tenuis conarer. Hinc quum nonnullos hymnos in laudem Divi Bellini Episcopi exararim, illos Tibi dico.

Hoc Tu, qualecumque est, rogo, boni consulas, Tuamque mihi pastoralem benedictionem impertias.

CHARITAS

Quæ mira efficiat, quantaque perferat,
Cui pectus superis ferveat ignibus,
Bellinus, decus et gloria Præsulum,
Exemplo docuit suo.
Hic, quidquid studio gens hominum cupit
Insano, teneris spernit ab unguibus,
Atque hæret Domino corde fideliter,
Dum terram pedibus premit.
Hic, fratrum numero quemlibet asserens,
Mœrentes reficit, pauperiem levat,
Educit pueros, lenis et excipit,
Ignoscitque nocentibus.
Sed vis nulla, minæ nec fera vulnera
De recto solidum tramite dimovent;
Quin mortem impavidus, propositi et tenax
Pro Christi oppetiit grege.
Præsta, summa Trias, quæ regis omnia,
Bellini ut meritis nos tua Charitas
Inflammet penitus, justitiæ et viis
Cæli ad gaudia provehat.

FORTITUDO

Dum Christi ovile cladibus
Cives cruentant perfidi,
Pastor superno numine
Bellinus illuc mittitur.
Ille et rapinas viribus
Arcere totis cogitans,
Et dura corda flectere,
Ad bella tendit aspera.
Precatur, obstat, increpat,
Ceu miles acer dimicat;
Ast in dies rapacium
Crescit luporum immanitas.
Sed perstat in sententia
Heros moveri nescius,
Nec, quæ sibi teterrimi
Struunt satellites, timet.
Quin fronte læta his protinus
Se tradit, atque Ecclesiæ
In asserendis juribus
Vitam renidet ponere.
Largire, summa Trinitas,
Ut fortitudo Martyris
Jugi in tui nos roboret
Confessione Nominis.

PATROCINIUM

Bellini ad Aram gestiat
Devota plebs procumbere,
Sanctumque Nomen Martyris
Lætis celebret laudibus.
Defendit Hic concredito
Curæ suæ Pastor gregi
Infecta tabo pabula,
Sæva ac luporum guttura.
Et præliatus fortiter
Vitam dedit cum sanguine,
Exempla miri roboris
Christi relinquens asseclis.
Nunc sacra in arce siderum
Vultu beatur Numinis,
Præsens Patronus Adriæ,
Quam dexter usque proteget.
Et quidquid Illum flagitent
Rite, impetrabunt supplices,
Testantur ut miracula,
Queis Illius mors claruit.
Testantur et qui tabidis
Canum petiti morsibus,
Hoc porrigente dexteram,
Semper fuere sospites.

INVENTIO

Desinant tandem dubitare mentes
De sacris nostri exuviis Patroni;
Nam sua, ut primo, placide repostæ
Sede quiescunt.

Hosticæ haud illas rapuere turmæ,
Non edax tempus nocuit, nec undæ
Fluminis rupto in patulos refusi
Aggere campos.

Ossa servantur, tenues capilli,
Frustula et carnis cineri remixta,
Atque adhuc prisca specie decori
Linei amictus.

Singula hæc vidit, modicasque partes
Extulit testes pius ipse Præsul,
Quum modis miris penitus reclusit
Martyris urnam.

Hinc Deo grates populi rependant,
Et novis templum numeris resultet,
Quando tam carum meruit tenere
Adria pignus.

Sit decus summæ Triadi per ævum,
Quæ beans cælis animas fideles
Splendido in terris pariter sepulçra
Auget honore.